

CASVS II.
DE
AFFECTIONE HYPOCHONDRIACA
ET MELANCHOLICA.

MONSIEVR!

LA réputation que votre grande pratique & vos doctes ouvrages vous ont acquise, est parvenue jusqu'ici à tel point j'y ai recours quoi qu'inconnu come à celui qui doit donner la guérison à mon fils qui est incommodé come Monsieur verra par le cas joint, que je le prie d'examiner attentivement, & résoudre spécifiquement tant pour les remèdes, que pour la manière de les changer, de prendre l'air, & quel régime de vie il faut garder, celui qui aura l'honneur de vous remettre la présente aura celui de vous payer votre honoraire, ou si elle vous est rendue par la poste, il y aura une adresse. En tout cas la mienne est à Mr. le Conseiller D. par Francfort & Liège à Malmedy, & si vos avis réussissent come je l'espére outre votre honoraire, je me ferai un devoir de vous témoigner ma reconnoissance; en attendant j'ai l'honneur de me dire

MONSIEUR,

Malmedy 5. Avril

1730. Votre très'humble & très obéissant
Serviteur

J. D.

Jecraîns une Atrophie où une hydropisie. le malade attend
votre résolution come une décision de son sort.

Historia

H *Hypochondriaca*
Historia morbi.

JUvenis est XXII. annorum, cui a quatuor jam annis & amplius stomachus est debilis. Verum a novem aut decem jam mensibus, stomachi ac primarum viarum se manifestarunt symptomata, ita ut a pastu superveniant illi stomachi gravitas & angustia & cordis palpitationes, quæ non cessant nisi duabus aut tribus equidem quatuor & quinque a pastu horis, tum flatibus replentur intestina, quandoque est vertiginosus, ordinario tristis & melancholicus, ita ut dum adsunt istæ angustiæ, nec verba, nec consortia sufferre possit, visus fit debilis & quod magis funestum alvus ad tres vel quatuor dies constipatur, valde emaciatur, genua flaccescunt, & viribus privatur. Interim superveniunt dies quibus prædictæ stomachi angustiæ cessant, tum etiam melan-
cholia cessat & est hilaris ac quasi sanus, appetitus semper con-
stat & sunt dies quibus comedit, gravatur tamen semper stomachus, sunt autem quibus comedere non audet, quia uti dicit, re-
deunt & augmentur angustiæ ac stomachi gravitas, urinæ quando-
que rubræ, turbidæ, cum sedimento lateritio, quandoque crudæ
aqueæ, quandoque citrinæ. Ad prædictum morbum, qui a Me-
dicis affectio hypochondriaca dicitur, debellandum, iam a qua-
tuor mensibus præscripta ipsi fuerunt primo 1) decocta splenica
laxativa tum 2) martialia, in infuso, cum cremore tartari & her-
bis amaris, 3) in forma electuarii sumptis intervallatim pi-
lulis ex gummatibus cum trochiscis alhandal aquatis. Diætam-
que servavit, nil comedendo, nisi facile digestibilia. Interim hæc
nihil proficiunt remanentque prædicta stomachi symptomata,
magisque emaciatur corpus, nec alvus nisi, arte laxatur, magis-
que melancholicus ac morosus fit, nulla est febris, dormit de
nocte.

C O N S I L I V M .

TRadita mihi est cum litteris historia, quam consultissimus
vir ad me misit, rogans simul, ut meum de morbi genere
judicium cum consilio medico, quamprimum fieri posset, redde-
rem

rem. Cui desiderio ego lubens annuens, casum iterato perlegi, eodemque probe pensitato, intellexi, juvenem, de quo sermo est, passione hypochondriaca, spasmodico-flatalenta, simulque melancholica affligi. Sedes huius tam gravis mali in ventriculo potissimum & canale intestinorum querenda. Ventriculus quippe repletus est flatibus multis, ex prava digestione & inde oriundis crudis acidis & viscidis succis, prognatis. Intestina autem, praesertim inferiora, atrocibus stringuntur spasmis, ut nec fatus, nec excrementa, rite transmittantur & egerantur. Vnde postea alvus oblitiscitur officii & fatus retrocedunt ad superiora ipsumque stomachum, eundem distendunt nimium, diaphragmatis descensum impediunt & sanguinem sursum maximeque ad caput agunt & congerunt. Atque hinc repetenda origo omnium adeo infestorum symptomatum, anxietatis praecordiorum, doloris constrictorii in pectore, capitis & oculorum, vertiginosæ perturbationis, cordis palpitationis, respirationis difficultioris, angoris, metus & inquietudinis animi. Quæ vero antecedentes externæ morbi fuerint caussæ, in ejusdem descriptione est quidem omissum; interim tamen multiplici confirmatum habeo experientia, in ejusmodi ægris, aut nativam quandam debilem cum exquisitiori sensu dispositionem, a parentibus hypochondriacis, maximeque matre hysterica, acceptam, aut febrem intermittentem cito nimis præpostere suppressam, aut graviora animi pathemata, aut etiam nimia & intempestiva venæris exercitia, ut plurimum fuisse accusanda. Sed quæcunque ex his præcesserint caussæ; jam curatio eo unice erit dirigenda: quo primæ viæ a crudorum succorum sentina & acido-viscida colluvie liberentur, tonus ventriculi & intestinorum cum inde pendente digestione firmetur, fatus infestii discutiantur maximeque omnium alvus libera servetur & aperta. Quæ cunctæ, ut eo rectius perfici queant, præmittenda, nisi brevi facta fuerit, sanguinis in pede missio, ad sex vel septem uncias instituenda. Tum usurpanda medicamenta & quidem methodo hac. Initium faciendum emetico leni, uti habet formula sub littera A. quod mane sumendum & aqua tepida

(Med. Consult. 8. T.)

3

cum

cum butyro liberalius condita superbibenda, idque vomitorium dandum ter alternis diebus. Dein quotidie vesperi dimidia drachma salis aperitivi, in schedula lit. B. descripti, in aqua pura fontanæ unciis duodecim soluti, sumenda; mane autem alterno die pilularum balsamicarum ex præscripto formulæ sub littera C. præparatarum, septem vel novem numero, deglutiendæ. His per decem ad quatuordecim dies insistendum, simulque interea in fine prandii ad roborandum stomachum assumendæ L. guttæ elixirii, cuius præparationem docet schedula sub lit. D. Tum circumacto hoc tempore singulis diebus mane & vesperi exhibendæ spiritus nitri dulcis guttæ XX. ad XXX. ex unciis octo aqua pura fontanæ, tanto magis, si forsitan sanguinis præsto fuerit ebullitio. Quoad vitæ vietusque regimen e re erit, ut æger abstineat a potu exæstuante calido, cibis crudis, acidis maximeque & lacte paratis, ac in cœna parum capiat, ut vitet animi pathemata, meditationes impensiores, frigus, in primis pedibus admisum, vicissim animum oblectandi occasionem captet, frequentius inter homines amicos versetur, aërem mutet, corpus subinde motu exerceat eumque in finem iter suscipiat. Quod si autem morbus fuerit adeo rebellis, ut his penitus cedere nolit; ego longa & multiplici experientia edoctus, certius & efficacius nullum fore auxilium censeo, quam ex usu acidularum. Inter quas huic morbo quam maxime conducibiles erunt Svalbacenses, aut si forsitan harum non foret copia, Spadanæ. Hæ potandæ non domi, sed optime ad scatebram, nec nimis frigidæ, sed imposita in aquam calidam lagena obturata, paulisper tepefactæ. Potatio instituenda mane, & bibendæ successive inter obambulandum duæ aut tres libræ medicæ, idque per quatuor, vel quinque hebdomades. Ante vero quam hæc per potum acidularum curatio suscipitur, die antecedente alvus subducenda per potionem laxantem, cuius formula adjecta sub lit. E. idque in medio ac finita ipsa repetendum, & præterea, quotidie quamdiu potatio durat, atque etiam aliquamdiu post eam, prandio finito, sumenda dosis elixirii stomachici, supra laudati.

Quæ

Quæ omnia, si ex præscripto rite servabuntur, spem ego
foveo haud dubiam, ægrum inde exoptatum levamen fore exper-
tum & sanitatem recuperaturum. Quod, ut Deus ita omnino
evenire jubeat, ex animo precor. Dab. Halæ in Saxonia d.
XVIII. Aprilis anni clo 10 cc xxx.

Lit. A,

Recipe radicis hypocuanhæ grana XXIV. tartari vitriolati,
nitri depurati, salis tartari ana grana quatuor. M. f. pulvis,
D. pro una dosi ad vomitum.

Lit. B.

Recipe nitri purissimi, arcani duplicati, lapidum cancerorum
ana unciam semis, terræ foliatæ tartari drachmas duas. M.
f. pulvis; D. S. Sal aperitivum.

Lit. C.

Recipe gummi ammoniaci, extracti centaurii minoris, rhabar-
bari, hellebori nigri, limaturæ martis, cinnabaris rite para-
tæ ana drachmam, extracti croci drachmam semis. M. f.
l. a. pilulae ex scrupulo no. XX. D.

Lit. D.

Recipe essentiaz gentianæ rubræ, corticum aurantiorum, chac-
carillæ, tincturæ tartari ana unciam semis, spiritus salis am-
moniaci drachmas duas. M. D.

Lit. E.

Recipe mannaæ electæ unciam, rhabarbari drachmam semis,
terræ foliatæ tartari, nitri puri ana grana XIII. coque & solve
leni calore in aquæ veronicæ unciis sex; colaturæ adde olei
de cedro guttas IV. M.D.

CAS III.